



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt IIII. Ex Ambrosio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

merito patientiæ, & piè sustetato, in flagello Domini, moderamine disciplinæ. hoc Machabæi inter sæuissima tormenta, hoc tres viri inter noxias flammæ, hoc Prophetæ sancti in captiuitate testantur. Sunt & alia apud Augustinum eiusmodi, quæ studio breuitatis omittimus, vt aliorum quoque Sanctorum sententias citiùs adiungamus.

CAPVT IIIII.

Ex Ambrosio.

DIVVS igitur Ambrosius de sancto viro Iob verba faciens libro secundo de interpellatione, Increpabant, inquit, vehementer sanctum Iob, Eliphaz ^{Iob 2.} Themanorum Rex, & Baldach Suitheorum Tyrannus, & Sophar Naamatenorum Rex: eo quòd propter peccata sua tatum supplicij sustineret. Infirmo etenim ingenio, non aduertebant quòd Dominus eum tentandum dedisset, vt athleta Christi tentationibus eruditus, ad maioris gloriæ coronam perueniret. Non videntes igitur tantum sapientiæ sacramentum, angusti cordis timore, ne viderentur iniustitiæ Deum arguere, qui pœnis affici innoxium pateretur, in sanctum Iob pœnarum merita retorquebant, dicentes: quia omnis vita impij in solitudine, & diuitiæ iniuste cõgregatæ euomentur, omnia quæ patitur homo grauiâ in terra, propter peccata sua eum perpeti. Rursum libri primi capite quarto, Vnum, inquit, solatij genus est in ærumna & in amaritudine constitutis, à culpa vacare: vt ea quæ perpetiuntur aduersa, non pro delicti pretio sustinere videantur. hoc quoque sancto viro adimere gestiebât, vt videretur ipse suæ auctor ærumnæ, qui peccatis grauibus contraxisset offensam, & pro impietatibus suis illa toleraret: describentes impiorum supplicia, qui vitia sererent, & meterent sibi dolores. hęc autem

tem

*Lib. 4. c. 2.**Ex Chryſoſto-
mo.**Hom. 167. ad
populum An-
nochenſium.*

tem cū sic dicat Ambrosius, tamen idē libro quarto eiusdem operis de interpellatione capite secundo: Iustus, inquit, etiamsi in equuleo sit, semper iustus est; quia iustificat Deum, & minora se peccatis suis dicit sustinere. hoc ergo si iustus agnoscit, quonam modo quisquam alienum à se iudicabit esse, propter peccata sua se perpeti? quonam modo hoc iustis erit solatio in afflictione & ærumna constitutis, si se cogitent culpa vacare, qui cogitare debeant minora se suis peccatis sustinere? Iam diuus Chryſostomus homilia in Matthæum quadragesima secunda, talem eorum qui affliguntur partitionem descriptam reliquit: Vniuersorum hominum alij & hīc, & in futuro seculo supplicia dabunt: alij in præſenti tantummodo vita: alij dumtaxat in futura: alij nec in præſenti nec in futura. Ibi solummodo vt diues ille qui nec guttæ vnus aquæ dominus est. hīc autem tantum, vt qui apud Corinthios fornicabatur. Neque hic verò, neque ibi, sicut Apostoli & Prophetæ: sicut beatus ille Iob, inquit, ceteriq. eiusmodi: non enim ad punitionem aliquas passiones hīc susceperunt, sed vt clariùs in luctamine vicisse cognoscerentur. Ad eumque modum & de sancto Abele locutus est libro secundo de prouidentia, tomo secundo. Et hæc quidem illis in locis. Alibi verò generatim affligi ac puniri docet iustos, quia nemo ita possit esse bonus, vt nulla habeat omnino peccata. propterea ergo iustum pœnas luere, vt peccatis omnibus depositis, probatus emigret. Ac de Lazaro subiungens exemplum, annotat propterea scriptum quòd receperit mala, quia sit ea passus ex debito, vt à peccatis purior euaderet. denique cū rebus aduersis premimur, gaudere nos oportere, quòd ea sit peccatorū expiatio.

CAPVT